Numerus 3 - Anni II
:: Martius 1925 ::

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8



EPHEMERIS MENSTRUA
NOSTRIS DIRECTORIBUS
CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU
CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

De B. Petro Canisio et Congregatione

Beatum Petrum Canisium, de cuius canonisatione proxime apud S. Sedem agitur, Congregationis Marianae propagatorem et defensorem fuisse insignem omnibus constat. Ingolstadii piam societatem is fundaverat iam circa annum 1550 inter theologiae alumnos, ex qua postea eius hortatu Sodalitas Mariana prodiit ; idem Patrem Franciscum Koster adiuvit in instituenda Congregatione Dillingae anno 1577. Friburgi Helvetorum ipse instituit Sodalitatem Marianam alteram anno 1581 pro civibus, alteram — quod notatu dignum est — pro mulieribus, cui anno sequenti, Collegio instituto, addita est Congregatio adolescentium studiosorum (1).

Quanto autem amore et studio sanctissimus ille vir Sodalitati Marianae deditus fuerit, vel litteris eius atque operibus scriptis apparet. Specimina hic afferre iuvabit, cum Directores nostri sollemni hac occasione certe non sint omissuri Sodales suos hac de re edocere.

Sic in opere saeculari « De Maria Virgine Deipara incomparabili » iterato Sodalitates contra rei catholicae inimicos defendit. Libro III capite X haec habet (2) :

" Ubi rursus offendit aemulos, quod ex his, qui Mariae devoti velint esse cultores, coetus aut *Sodalitas quaedam* (vulgo fraternitatem vocant) pie constituatur. Cur autem offenduntur, si in hoc studium pii coeant sanctamque ineant societatem, nullius quidem lucri aut quaestus vanaeve laudis cupiditate permoti, sed divini cultus et Marianae laud's amore ac desiderio inflammati ?

Deinde cur non ferat, non probet, non sibi gratum ostendat, non spiritualibus praemiis, non sancta liberalitate compenset Mater Ecclesia, quidquid pie a piis filiis in hoc genere instituitur, praesertim ut per hanc occasionem plerique non solum in fide, sed etiam in precatione et caritate piisque operibus magis exercitentur ?

Atque utinam permultos habeamus, qui in hanc praeclaram societatem dent nomina, et parte saltem ex aliqua compensent, quod alii tam multi sive per socordiam, sive per malitiam in colenda Virgine praetermittunt. Etenim si verum fatebimur, avita fides ac pietas passim iacet proculcata, oratio tum privata tum publica prope in desuetudinem venit, divini timoris et amoris vincula quaelibet disrupta videntur, ac demum novarum de fide contentionum et haeresum flammae sic populares animos incenderunt atque devastarunt, ut plerique, solius fidei et nudi Christianismi professione contenti, non Christo gratias agant, non Mariam ament, non Superos agnoscant et vix inferos quidem esse credant ... "

Libro autem V cap. XXVI (1) haec scribit contra haeresiarcham Platzium :

" ... In eos etiam destomachatur, qui sanctum quoddam Sodalitium ineunt, ut ad Mariae laudes saepius ex instituto celebrandas conspirent ... Ignorat, quam sit Deo gratum et ad movendas hominum mentes vehemens fraternae caritatis vinculum, quo plures uno eodemque spiritu afflati Dei Mariaeque cultum diligentius exercendum pie consociantur, certoque, de quo dictum est, Sodalitio colligantur, ut ita se mutuo ad Deum precandum et Virginem salutandam ex professo magis cohortentur ".

Celebris praeterea exstat B. Canisii *epistula*, quam Patri Koster scripsit Ingolstadio 8 Nov. 1577, cum hic Coloniae in gymnasio Trium Coronarum Sodalitatem Marianam anno 1575 instituisset. Laudat Sodales Colonienses eosque hortatur, ut literarum commercio sese Sodalibus Ingolstadiensibus socient. Cuius epistolae verba haec sunt :

(1) *W. Kratz* S. J. : Aus alten Zeiten. Die Mar. Kongregationen in den Ländern deutscher Zunge. Ihr Werden und Wirken von 1575 bis 1650. Pag. 63 sqq. 94 sqq.
(2) Edit. *Migne* p. 1077.

(1) Edit. *Migne* pag 341.

" *Pax Christi nobis aeterna, R. pater !*

Cum venissem Ingolstadium, ut P. nostro Provinciali in hoc quoque Collegio visitando assisterem, redditae mihi sunt literae R. T., quas equidem perlibenter accepi. Veterem enim et fraternum P. Costeri in me animum satis declarant et Marianum opus nostrum utcunque comprobant, et iam impetrata quaedam transacti laboris nostri praemia nunciant.

Benedictus Deus, qui Caritati tuae haec sancta inspiravit consilia, ut per illam piorum adolescentum animi ad precandum pro nobis multis in locis excitarentur. Nec dubito, sacratissimae Virgini et potentissimae Dominae nostrae hos vestros conatus, haec pia vota et studia maxime comprobari. Per eandem nunquam satis honoratam ac honorandam Virginem Matrem omnes, qui sacrae huius Congregationis institutum amplexi sunt, etiam atque etiam oro et obsecro, ut in praeclaro suo cursu confirment et augeant animos, certoque sibi persuadeant, mirifica divinae gratiae praesidia non solum in ipsis initiis, sed multo uberius in progressu eiusmodi Mariae cultoribus adfutura esse.

Quod vero falsi fratres tam felicibus auspiciis vel invideant, vel obstrepant palam, non obscurum argumentum est, hoc opus, quia Deo gratum multisque salutiferum exsistat, idcirco quorundam insectatione probandum ac illustrandum esse. Habeant hoc studium aemuli, si omnino ita velint, sibi cum illis quoque commune, qui probatiora etiam religiosae vitae instituta et exercitia non sine spiritu haeretico petulanter arrodunt et perverse convellunt. Nostrum est tanto rectius de catholica religione in Germania restituenda praeclariusque sperare, quanto plures in Mariae Virginis cultum vindicandum et ad coeptam Congregationem exornandam in Iesu nomine conspirabunt. Rideant haeretici, Christique parvulos suum Hosanna vel Ave Maria subinde concinentes increpent; miretur et novus mundus Deiparae honorem novo studio in multorum hominum ordinibus instaurari. Felices illos et singulari corona dignos ego dixerim, qui cum R. T. ad hoc sanctum opus et inchoandum et propagandum suas conferunt operas, quantumvis Mariomastiges obsistant, nimirum serpentis antiqui, qui alteri Evae vel maxime adversatur, astu et fraude circumventi.

Illud vero mihi perplacet, ac prorsus effectum reddi cumprimis opto, ut qui sunt huius Instituti apud nos, sunt autem nec pauci, nec ignobiles, ad initium anni mittant isthuc literas, quibus laeta quaedam de sui Sodalitii successu atque progressu nuncient (1), ut sane suo iure facere posse videntur, multa enim et scriptu et laudatu digna praestant et seipsos Domina nostra iuvante egregie vincunt, atque non sine multorum admiratione eum in pietate progressum faciunt, ut merito Christum ipsum in Matre, Matrisque cultoribus pientissimis praedicemus. Et proderit certe posteritati, literis Dei opera miranda committi, quae nunc subinde tum in minoribus, tum in maioribus huic Sodalitio ascriptis passim elucent, perinde acsi novam quandam lucem Christus propter suam Matrem in multorum cordibus excitaret, et sicut antea nunquam, in Aquilone porro demonstrare vellet „.

(1) Ingolstadii Sodalitas Mariana hoc ipso tempore Canisii hortatu instituta erat.

Habemus tandem synopsin unicam *exhortationis*, quam Canisius ad Sodales dixit Halae (Hall) in Tiroli, cum anno 1580 P. Paulum Hoffaeum provincialem in Societatis Collegiis visitandis adiuvaret. Congregatio ista Halensis non iam ex Gymnasii tantum discipulis, sed viris etiam non vulgaribus constituta erat.

Exhortationis autem synopsis inter B. Canisii scripta inventa ita habetur :

" Non est opus hic multa dici a me, dilecti in Domino, ad vos exhortandos, consolandos vel instituendos, praesertim cum non desint vobis interiores simul et exteriores exhortati nes, consolationes et institutiones in hac vestra laudabili Sodalitate seu fraternitate in templo et alibi.

Gratias autem ago singulares Domino, qui vos elegit et congregavit in dicta Sodalitate hoc tempore, quo maxime opus est, ut Deipara multos habeat amatores et servitores fideles, sicut ipsa meretur, et divina ordinatio requirit ad multorem utilitatem et salutem.

Gratias ago Deo pro obedientia vestra, quam hodierno die monstratis communicando et ita vobis applicando pretiosum thesaurum Indulgentiarum, quae sunt recens promulgatae ex praecepto Summi Pastoris et Praesidentis Ecclesiae.

Si autem deberem aliquid libere proferre, quod mihi est in animo, fideliter monerem et rogarem, ut sedulo vacaretis huic institutae Fraternitati, sicut veri et delecti Sodales et fratres, et sicut etiam ab aliis alibi fieri solet, cum singulari gratia Dei et admiratione bonorum et fructu plurimorum.

Tunc autem bene vacabitis instituto, si bene utamini festo hesterno de Mariae Visitatione celebrato, ut nempe aliqua ex parte vos conformetis exemplo Dominae Nostrae, quae se ostendit ancillam Domini erga Gabrielem, et fidelem cognatam erga Elisabeth. Ancilla Domini : quia se totam obtulit Deo ad eius voluntatem implendam, quam Angelus declaraverat. Cognata vero fida : quia veterem anum ex sola caritate invisit et illi servire optavit in omni humilitate.

Simus et nos servi Dei et obediamus superioribus, qui tanquam angeli a Deo nobis mittuntur et proponuntur interpretes divinae voluntatis in his, quae credenda et agenda sunt.

Simus et fideles in serviendo fratribus, et exerceamus nos cum Maria in operibus verae caritatis et misericordiae.

Praecipue discamus a Maria zelosi esse in his, quae ad Dei honorem et salutem animarum spectant et sentiemus fructum, sicut Deipara sensit. Fecit enim 1° repleri cognatam SS (1), 2° sanctificari Ioannem, 3° Deum laudari in tota domo Zachariae, 4° multos fecit participes Evangelicae gratiae, id est caritatis, gaudii, pacis, consolationis et fervoris.

Non sit satis nobis, si caveamus a magnis peccatis, sed ad montana surgamus et alios etiam meliores reddere satagamus, hortemur peccatores, instruamus errantes, visitemus miseros, adducamus dubios, corripiamus iniu-

(1) i. e. Spiritu Sancto.

rantes. Exemplo hos iuvemus, quos possumus in schola, domi et foris. Magni faciatis hoc institutum 1° divinitus concessum et 2° multis utile, 3° honoratum et ornatum tot privilegiis, 4° tam longe propagatum; in illo spectetis Dominam Nostram, imo et Reginam coelorum, illam honoretis assidue, per illam petatis a Deo omnia... „ (1).

In hac oratione id notatu certe dignum videtur, quod B. Canisius praeter pietatem ac caritatis exercitium etiam zelum apostolicum et opera circa animas Deo lucrandas diserte meminit atque inculcat. Hoc illi maxime advertere debent, qui Sodalitatem initio ad exercitia precatoria tantum tetendisse autumant, fuisseque pium tantum puerorum oratorium.

Quodsi nunc Deo clemente suprema Beato nostro Canisio trophaea a Christi Vicario parabuntur, nostrarum Sodalitatum Directoribus certo nihil magis cordi erit, quam Beati Viri de Sodalitate quoque tam bene meriti meminisse, eiusque fervorem in excitandis Sodalibus ad Mariae cultum, virtutem et animarum zelum etiam aliis sacerdotibus exemplo proponere.

Ecce ille, quo vix quisquam fortius in restauranda per Germaniam vera fide desudavit, in Sodalitatem Marianam oculos convertit, ubi socios quaesivit laborum et pugnarum.

(1) Epistula et synopsis habentur apud O. *Braunsberger* S. J.: Beati Petri Canisii S. J. Epistulae et Acta, VII, pgg. 422 sq. 829 sq.

DE MODO SODALES AD APOSTOLATUM INDUCENDI

(Continuatio 3-da et finis)

2. De operibus subsidiariis apostolatus.

Opera subsidiaria apostolatus contemporanei, in quibus apostoli laici laborem conferre possunt, supra enumeravimus (pag. 9 et 10).

Videamus brevissime, quid in singulis his apostolatus palaestris apostoli laici et imprimis Sodales Mariani praestare possint.

1. Opera caritatis.

Opera caritatis promoveri possunt:

a) modo *individuali et occasionali,* e. g. eleemosynam dando, aegrotos aliquando visitando, moestos consolando; nosocomia erigendo vel iuvando;

b) modo *sociali,* laborem inquam recte distribuendo inter socios alicuius associationis ad hunc finem institutae, e. g. Operis S. Vincentii a Paula;

c) modo *pastorali,* scl. caritatem tamquam partem curae pastoralis considerando, eamque organice in operationem parochialem implectendo, e. g. per Sectiones caritativas Commissionis parochialis.

Modi *b*) et *c*) sic coniungi solent, ut Sectio *generalem* pauperum curam et conspectum necessitatum habeat et media iuvandi suppeditet, associatio autem (S. Vincentii) secundum indicationes Sectionis parochialis aegrotos pauperesque *effective invisat,* dona distribuat et apostolatum caritatis individualem, modo tamen ordinato, exerceat.

In maioribus tamen urbibus nec Conferentiae S. Vincentii, nec Sectiones caritativae parochiales ordinarie sufficiunt, sed institui solent *Secretariatus* et *Commissiones Caritatis locales* pro tota urbe, ad quas Commissiones singulae parochiae et opera caritatis suos delegatos mittunt. Sic uniformitas servatur, media publica melius obtinentur, labor facilior et ordinatior redditur.

Sunt praeterea Commissiones caritatis *dioecesanae* et *nationales.*

Sodales aliique laici pii adiuvare haec omnia possunt: nomen dando et laborem impendendo sive Operi S. Vincentii (pro feminis: S. Elisabethae), sive Sectioni et Commissionibus parochiae, urbis, dioecesis, nationis; inducendo alios ad eundem laborem; quaerendo eleemosynas pro pauperibus; promovendo opera quaedam socialia (e. g. opera parsimonialia), quae simul opera caritatis prophylactica dici possunt.

2. Opera iuventutis.

Iuventus educatur:

1. in familia,
2. in schola,
3. in organisationibus iuventutis.

1. *In familia* curanda est bona et religiosa educatio. Haec fit: bono exemplo parentum et fratrum, institutione religiosa domestica, exercitiis religiosis domesticis (precibus communiter recitatis), ornatu domus religioso (ut sunt crux, piae imagines, aqua benedicta), cura, ut pueri tempestive et ordinarie ad templa et sacramenta accedant et doctrinam sacram accipiant, tandem praevertendo malas societates, libros, spectacula, oblectamenta, vestitus parum decentes, locutiones periculosas etc.

Apostolus laicus haec omnia curabit inprimis domi suae, dein subiectorum suorum (e. g. servorum), dein cognatorum et amicorum, dein etiam alibi, promovendo e. g. associationem matrum christianarum et patrumfamilias, vel instructiones, vel conferentias parentibus dandas (« vesperas parentumfamilias »).

2. *In scholis* promovenda est cum instructio religiosa in doctrina sacra, tum spiritus religiosus in toto scholae ambitu. Pericula deinde moralia

amovenda. Curandum, ut etiam in scholis laicis et mixtis magistri quam optimi adhibeantur ; ex libris et bibliothecis scholaribus omnia expungantur, quae contra religionem vel mores offendant. Iuvenibus tempus et occasio exercitationum religionis relinquatur, ad quas strenue adhibendas omnes discipuli inducantur.

In scholis mediis et altioribus : quoad fieri potest, curandum est, ut iuvenes altiorem notitiam rerum catholicarum sortiantur ; historiam Ecclesiae eiusque merita in vita sociali et culturali (scientiis, litteris, artibus) bene cognoscant, apologetice excolantur, fidem etiam defendere et propagare discant.

Apostolus laicus haec omnia promovebit, quantum sibi id per adiuncta licet. Praeterea curabit, 1° ut quam plurimae scholae catholicae erigantur et sustententur, etiam altiores, 2° ut parentes catholici pueros suos ad scholas catholicas mittant et a malis scholis retrahant, 3° ut plurimi pueri pauperes mitti in scholas catholicas atque etiam altiores possint, praesertim si vocationem sacerdotalem ostendant.

3. *Organisationes iuventutis* sunt aliae acatholicae, aliae neutrales, aliae catholicae. E catholicis aliae sunt primario religiosae, aliae religiosae simul et culturales, sociales, sportivae, etc.

Apostolus laicus conabitur iuvenes a malis et etiam generatim a neutris retinere et ad bonas organisationes allicere, praesertim ad eas, quae primario religiosae sunt, ut Congregatio Mariana. Praeterea adiuvabit ipse, si potest, has organisationes iuventutis sive pecunia, sive opere (e. g. bibliothecam earum curando, ludos sportivos vel scenicos dirigendo, generatim Directori sacerdoti suum iuvamen offerendo). Peculiari modo apostolatus in his operibus commendatur *ipsis iuvenibus maturioribus* quoad iuniores. Etiam ad opera caritatis adducere iuvenes aliquando iuvat, vel ad demonstrationem aliquam catholicam religiosam (adorationem SS.mi communem, Communionem generalem, processionem sub vexillis propriis).

Similia etiam puellis instituuntur, atque etiam iuventuti ruri habitanti.

Peculiarem curam merentur *libri pro iuventute* compositi, sive religiosae, sive recreativae, sive historicae ac technicae ; atque ephemerides iuventutis. Apostoli laici adiuvant hunc apostolatum partim tales libellos scribendo, partim propagando.

3. Vita culturalis.

Curandum nobis est, ut studia altiora et litterarum usus apud Catholicos quam maxime promoveatur et sic influxus intellectualis rei catholicae augeatur.

Ad hunc finem confert :

1. habere *scholas altiores*, praesertim *Universitates* catholicas easque bene evolvere ;

2. habere etiam in Universitatibus et Academiis statalibus quam plurimos *egregios catholicos doctores*, itemque *studiosos ;*

3. instituere *societates virorum doctorum* (Academias) easque evolvere ;

4. edere *libros et periodica scientifica.*

Haec omnia cordi erunt apostolo laico, praesertim altioribus litteris culto.

4. Opera propagandae et preli.

Ballistae et catapultae belli inter Christum et Belial, inter veritatem et errorem nostris diebus sunt imprimis *litterae impressae :* immensa illa moles diariorum, ephemeridum periodicarum, foliorum volantium et librorum omnis generis, qua maiorem vim in mundo nullam esse iam Napoleon I ait. Frustra aedificatis templa, sic Pius X inquit, frustra scholas erigitis : nisi ad horum omnium tutelam etam diaria et prelum catholicum inimico opponatis. Diaria et libelli sunt arma formidanda, quibus qui scite utitur, omnium rerum facile potitur. Non reges hodie, non publica comitia, non gubernia proprie in populos dominantur, sed ephemerides. Est igitur Catholicis omni nisu elaborandum, ut *mala impressa repellant, bona promoveant* et propagent.

Duo igitur hic praestanda sunt : removere, promovere.

I. *Removent mala impressa* apostoli laici, cum :

1. nunquam sine vera necessitate malos libros malasque ephemerides legunt, praesertim publice, sed neque eas domi suae ulla ratione tolerant ;

2. nunquam eas acceptant (in « café », in curru ferreo), sed etsi offerantur, cum contemptu reiiciunt ;

3. alios quoque de periculo et dedecore edocent, quae in eo sita sint, quod Catholici ipsi hostium suorum conamina promoveant, diaria eorum emendo, legendo, de iis tamquam fonte veritatis loquendo ;

4. permovendo alios, qui adhuc haec diaria emerunt, ut remittant ephemeridem editori cum chartula indicente, se nolle posthac ephemeridem istam legere, quod contra religionem catholicam offendat ;

5. non dando annunciationes (annonces) diariis istis ;

6. instituendo, si opus est, manifestationes protestationis, si quid diaria ista contra Ecclesiam, episcopos, sacerdotes publicasse constat.

II. *Promovent bona scripta* apostoli laici :

1. subscribendo, legendo, discutiendo diaria librosque catholicos, aliis eos commendando ;

2. emendo apud illos mercatores, qui annunciant merces suas in ephemeride catholica, indicando, se per hanc vel illam ephemeridem ad ipsos adductum esse ;

3. si arte scribendi calles : scribendo in diaria et ephemerides catholicas ;

4. lecta diaria librosque aliis commodando, vel ad aegrotos in nosocomia mittendo ;

5. bonum aliquem et sale conditum articulum ephemeridis catholicae praelegendo aliis, ut etiam ipsi illam adament ;

6. curando, ut variae institutiones (officia, recreatoria seu « casino », bibliothecae publicae) ephemerides foliaque catholica comparent ;

7. instituendo, si nondum adsint, typographias catholicas, ephemeridesque, formando pro his bonos scriptores, administratores, venditores ;

8. instituendo bibliothecas catholicas, etiam publicas ; item in nosocomiis bibliothecas circulantes ;

9. faciendo conferentias populares et solemnitates propagativas preli catholici.

Simili quodam modo agendum est quoad *theatra*, *cinematographa*, *artesque*.

5. Opera socialia.

Opera socialia a Leone XIII et sequentibus Pontificibus tantopere commendata pars sunt praecipua apostolatus contemporanei bene ordinati. Fiunt autem his potissimum viis :

a) institutionibus *bonum commune* societatis promoventibus, qua pax socialis et vita ordinata stabiliantur,

b) institutionibus singulos certosque hominum *status* protegentibus.

I. *Institutiones bonum sociale commune promoventes* sunt :

1. *educatio socialis populi :* educatio hominum ad sensum communitatis et solidaritatis socialis, ad sensum obligationum socialium, ad auxilium sui ;

2. *promotio virtutum socialium :* iustitiae, aequitatis, caritatis, diligentiae et assiduitatis ;

3. *opera socialia generalia*, praesertim :

a) opera parsimoniae,

b) opera cooperativa,

c) opera assecurationum,

d) opera pro habitationibus bonis instituta,

e) opera temperantiae et abstinentiae,

f) opera hygienica,

g) opera protectionis moralitatis publicae ;

4. *legislatio socialis* iusta et christiana ;

5. *opera centralia laboris socialis.*

II. *Institutiones singulos status protegentes* sunt :

a) opera protectionis operariorum, operariarum, operariorum iuvenum et puerorum,

b) opera protectionis feminarum, infantium ac iuventutis,

c) opera protectionis agricolarum, parvorum industrialium, mercatorum, militum etc.

d) opera protectionis classium mediarum.

Apostolus laicus his in partibus operam utilem navare potest : laborando in ipsis operibus supra dictis, sermones populares habendo in eorum conventibus, scribendo vel dirigendo eorum periodica, diffundendo scripta apta, invitando et compellendo homines ad nomen dandum istis operibus et ad laborandum in iis, instituendo vel promovendo inter iuvenes, viros cultos vel operarios Circulos studiorum socialium, opera parsimoniae etc.

6. Opera vitae publicae.

Tempore hoc sic dictae democratiae universalis et tendentiae Statuum ad immiscendum se in omnia vitae momenta, summe necessarium est, ut Catholici etiam in vita publica vim suam ac vigorem ordinato modo exerceant, sicque sua iura, securitatem Ecclesiae, scholas catholicas, moralitatem publicam et ordinem socialem christianum defendant et libere evolvant. Deus etiam in vita publica colendus est, nec cuiquam licet hic a labore sese subducere.

Aliud tamen est haec curare, et aliud : rebus et dissidiis fractionum politicarum misceri, praesertim in rebus mere saecularibus, vel ubi Catholici in diversas partes abeunt. Hic cautione magna opus erit ; nec tamen ideo cessat obligatio nostra curandi, ut principia catholica in regenda vita publica praevaleant.

Ad vitam publicam principiis christianis imbuendam conducunt praeter cetera :

1. curare, ut Catholici de rebus politicis, quae religionem, mores, ordinemque socialem undecunque attingunt, ac praesertim de principiis politicae christianae quam optime *edoceantur ;* quod fit orationibus, scriptis, conventibus popularibus etc. ;

2. excitare conscientiam obligationis *suffragii* ferendi et recte ferendi ;

3. adigere Catholicos, praesertim deputatos, itemque magistratus catholicos, etiam municipales, ut *officio suo bene fungantur*, Ecclesiam defendant, bonum commune et reformationem socialem promoveant, Catholicos aptos ad publica munia adhibeant, vitia et iniustitias reprimant etc.

Apostolus laicus hoc illove modo data occasione libenter laborem suum conferet ad ista promovenda, praesertim si facundia dicendi, scribendi, vel facultate res publice gerendi pollet.

7. **Opera Missionum exterarum et conversionis acatholicorum.**

I. *Missiones exterae promoventur :*

1. spargendo inprimis notitiam et amorem Missionum catholicarum,

2. promovendo vocationes missionarias,

3. Missionibus opem materialem ferendo.

Notitia et amor Missionum spargitur : concionibus (etiam laicis), scriptis de ea re tractantibus, conferentiis, academiis et theatris aptis, cinematographis et spectrographis etc.

Vocationes promoventur : instituendis studiorum Circulis de Missionibus, devotionibus pro Missionibus habendis, adiuvando pueros et iuvenes huius vocationis cupidos ad studia facienda et intrandum ad scholam apostolicam vel Ordinem aliquem missionarium, instituendo scholas apostolicas et domos missionarias, vel eas adiuvando etc.

Materialiter Missiones promoventur : collecta pecunia sive in templo sive in academiis missionariis, collectis signis postalibus ac stanno ad eundem finem, parandis vestimentis vel paramentis sacris pro Missionibus, libris missis ad Missiones, fundationem faciendo pro Seminarista, Catechista etc. Aliqui etiam summam pecuniae vel agrum dant Missionibus, certo annuo reditu sibi reservato, donec vixerint. Inprimis vero fovenda sunt opera Missionum papalia : Propagatio Fidei, Sacra Infantia, Opus S. Petri.

Omnia ista simul fere promoventur *diebus missionariis,* qui vocantur. Quorum modus hic est : Mane aliqua die dominica fit Communio generalis omnium associationum piarum pro Missionibus catholicis ; a prandio fit concio sacra de opere propagandae fidei cum devotione pro conversione infidelium et vocationibus suscitandis et collecta pecunia ; vespere academia aliqua de eadam re (theatrum, spectrographa, conferentia, « tombola », imagines vivae etc.).

In his omnibus apostolus laicus utilem fervori suo occasionem inveniet.

II. *Conversio acatholicorum* promovetur ab apostolo laico : privatis colloquiis, libris apologeticis commodatis, invitando acatholicum bonas dispositiones ostendentem ad conferentiam aliquam vel concionem bonam apologeticam, instruendo in fide converti cupientes, dubia eorum solvendo, ad sacerdotem eos ducendo, patrinum agendo etc.

8. **Opera internationalia.**

Catholici etiam ultra suarum nationum limites sese mutuo cognoscere, amare et iuvare debent, neque permittere, ut nationalismus exaggeratus odia spargens et mendacia calumniasque in alterutram partem propagans caritatem mutuam impediat et conscientiam unionis in eadem familia universali destruat. Quare enitendum est, ut :

1) Catholici diversarum gentium sese *melius cognoscant*, conventibus, scriptis, ephemeridum ac societatum catholicarum maiore inter se communicatione et similibus viis ;

2) quaestiones quasdam practicas simul discutiant, ac deinde *unitis viribus et uniformiter procedant*, quo vis et conamen singulorum efficacius reddatur ;

3) in quibusdam rebus omnino *inter se cooperentur :* sic :

a) in vita culturali : ut opera scriptorum nostrorum, doctorum, artificum eminentium in omnibus nationibus multum laudentur, celebrentur, discutiantur ; eventus factaque insignia Catholicorum variarum gentium magis ubique in lucem ponantur ; aliqui studiosi catholici in exteras Universitates mittantur ;

b) in vita sociali : institutiones bonae et conamina socialia Catholicorum alicuius nationis etiam alibi dilucidentur et imitationi proponantur ; similiter cognitio iniuriarum, quas Ecclesia et Catholici in quavis terrae parte patiuntur, magis propagentur et ubique vituperentur ; quaestiones sociales, quae internationales sunt, communi consilio et nisu solvantur ; migrantes in aliam gentem (studiosi, operarii, famulae) speciali cura et amore excipiantur ;

c) in vita oeconomica, quae hodie magnam partem internationalibus relationibus superstruitur, Catholici conentur inprimis cum Catholicis relationes internationales commerciales inire ;

d) in vita publica internationali Catholici, ad quos attinet, curare debent veram iustitiam et pacem inter gentes ; quare influere debent in Societates Nationum et similia ; curare item, ut in novis singularum gentium circumscriptionibus non francomurariorum placita, sed Catholicorum quoque necessitates et emolumenta respiciantur etc.

Apostoli laici erit huius internationalis cooperationis necessitatem se et alios edocere, contra nationalismum exaggeratum pugnare, libenter rebus extraneis studere, praesertim conaminibus Catholicorum aliarum gentium, legere eorum ephemerides, adire ad congressus catholicos internationales, promovere organisationes catholicas internationales etc.

9. **Opera oeconomica catholicorum.**

Pecunia, « nervus rerum gerendarum », etiam ad res bonas et sanctas fovendas necessaria est. Duplex est necessitas apostolatus oeconomici ; curandum enim est :

1. ut *ipsi Catholici ad condicionem oeconomicam bonam eleventur* (sic enim pauperies « maxi-

ma meretrix » vincitur, Catholici independentiores fiunt, possuntque filios melius educare, etiam plus praestare pro re catholica) ;

2. ut institutiones et *opera catholica solidum fundamentum oeconomicum acquirant :* ad ecclesias, scholas, monasteria, nosocomia etc. erigenda, ad typographias, ephemerides, bibliothecas instruendas, ad caritatem exercendam, Missiones iuvandas etc.

Media apostolatus laici, quod ad primam partem attinet, sunt : erigere opera socialia huius generis (cooperativas societates et parsimoniales), in eisque evolvendis operam navare ; edocere homines, quomodo sese in rebus oeconomicis gerant, quomodo rem domesticam curent, agros colant, sese mutuo adiuvent ; instituere scholas et cursus nendi, coquendi, hortum colendi ; adhibere semper catholicos fabros, servos, medicos, artifices, advocatos, bancarios ; emere apud mercatores catholicos ; fovere tales societates etc.

Media augendi pecuniam et media pro institutis coeptisque catholicis, sunt : eleemosynas dare et colligere, officinas et laboratoria pro re catholica iuvanda erigere, promovere, in eis laborare ; instituere et fovere societates lucrativas ad utilitatem rei catholicae : curare, ut bona ecclesiastica et operum piorum bene administrentur et conserventur, atque ea defendere contra sectarios et administros perfidos etc.

* * *

En, quam multa sunt ubique agenda apostolis laicis ! Adde, quod nos hic per summa tantum capita labores praecipuos indicavimus, quorum singuli saepe immensa et implicatissima conamina exigunt. Revera non est timendum, ne forte campus laboris apostolum zelosum deficiat. E contra difficile saepe erit eligere laborem, cum tam multa simul sese praestanda offerant. Quare adiungenda censemus pauca ad bene faciendam electionem tam laborum, quam modi laborandi.

Quid et quomodo laborandum ?

1. Primum omnium : apostolus laicus, si recte labores eligere et perficere vult, ne omittat *multum orare Deum ac Reginam Apostolorum*, ut gratia illuminetur et inspiretur ad recte laborandum et adiuvetur ad fructus uberes capiendos.

2. Deinde *prudenter et considerate dispiciat*, quid valeant humeri, quid ferre recusent ; quid utilius sit, magisque urgeat : unde maior et universalior fructus speretur ; quid inprimis officia sui status, obedientia erga superiores ecclesiasticos, praesertim erga Episcopos et Summum Pontificem praescribant.

3. *Conferat consilia* cum Directore spirituali vel Moderatore Congregationis, ipsisque sociis apostolatus ; ad quae consilia capienda institutae sunt in Congregatione Mariana *Sectiones* variae.

4. *Instruat seipsum :* libros et ephemerides de apostolatu tractantes legendo, conferentias eiusmodi audiendo, congressibus operum piorum interveniendo, ad modum agendi peritiorum attendendo.

5. *Rectam intentionem servet ;* rebus bene ac prospere cedentibus ne infletur, sed videat, quid melius sibi agendum fuerit ; rebus male evenientibus ne deprimatur, sed secum discutiat, ubinam errorem commiserit et quomodo ille emendandus sit. Quare examen secum saepe instituat de modo apostolice agendi et de fructu obtento. Libenter tandem corrigi patiatur.

6. Laboret *ordinate et constanter*, ideoque fervorem ac zelum apostolicum in seipso semper renovet, maxime tempore s. Exercitiorum.

EPISTOLAE AD EDITOREM

De differentia inter Congregationem et moderna opera. Rev. P. Editor ! Ex responso a R. V. dato ad epistolam publicatam in aliquo fasciculo A. O. (pg. 91, num. 8) apparet, non semper urgendum esse, ut loco associationum modernarum Congregationes instituantur, sed sufficere aliquando, ut opera illa moderna, quae in variis locis exorta et stabilita sunt, spiritu Congregationis imbuantur et more harum regantur. Quaero, utrum haec sit mens illius responsi. Laborem enim nostrum haec agendi ratio saepe faciliorem redderet, aliquando etiam (ut mihi videtur) utiliorem.

S. M.

Responsum Editoris : Sane haec mens erat. Ne tamen perperam intelligamur, hac distinctione utimur :

a) Ubi libere eligere possumus, neque adest gravior ratio praeferendi Congregationibus nostris opera illa moderna, per se nos Congregationi primas partes dabimus.

b) Ubi vero aut practice deest libertas eligendi, aut gravioribus rationibus opera moderna praeferenda arguantur, non putamus necesse esse, ut Congregatio quocumque pacto aut vi quadam illis praeponatur. Sed tum id nobis curandum erit, ut intra vel iuxta illa moderna opera, quoad eius fieri potest, substantialia Congregationis momenta serventur et evolvantur. Substantialia vero Congregationis sunt : formatio inprimis religiosa altior, apostolatus activus, cultus Marianus, Directoris auctoritas plena in gubernando.

Exemplo saepe adducitur casus, qui maxime in America frequens est. Habentur ibi coetus vi-

rorum magni et florentes Societatis SS.mi Nominis Iesu (Holy Name Society), quorum socii singulis mensibus ad s. Communionem accedunt. Simile quid est in Germania opus, cui nomen Apostolatus Virorum. Labor Sacerdotis relative paucus et facilis, fructus egregii. Opera haec ubique propagata ac fere in singulis parochiis instituta sunt. Utquid opus istud — dicunt aliqui — deseramus, vel iuxta illa novos coetus Congregationis Marianae instituamus, confusionem et aemulationem facientes et opera tam praeclara virisque tantopere placentia dissolventes? Quibus respondetur: Nequaquam hoc faciendum est. Sed quid prohibet ex illis coetibus eos, qui ad id parati inveniuntur, etsi minore numero, colligere, eisque animum et occasionem dare ad apostolatum quoque impensius exercendum? Convocate illos, qui iam Communione menstrua satis ad pietatem altiorem et apostolatum exercendum dispositi sunt; instituite modo quodam stabili collationes et consultationes cum illis de religione et apostolatu studiosius exercendis; addite cultum Marianum, et habebitis quoad substantiam Congregationes. Annon dolendum est, nos multos viros adducere ad s. Communionem menstruam, nec tentare illos etiam ad apostolatum exercendum excitare et ad Ecclesiam modo stabili defendendam? Hoc certe tentandum esset, et sic via parabitur ad Congregationes mox pleno sensu genuinas habendas.

Congregatio - res feminea? Maxima obiectio contra Congregationem multis in locis haec est: apud nos Congregatio est *res quaedam feminea.* Iuvenes nostri et viri neque audire de ea volunt, quia nomine Congregationis associationes puellarum intelligunt.

Proh dolor, verissimum est, Congregationes multis in locis ita deflexisse, partim etiam per incuriam nostram aliorumque sacerdotum. Congregatio per se res virilis est et per 2 fere saecula feminas vix admisit quidem. Nunc autem adeo feminis proiecta est nonnullis in locis, ut pro quibus primario instituta est, ii de ea ne audire quidem velint.

Sed hoc emendandam omnino est. Nomen ipsum Congregationis viris imprimis ac iuvenibus vindicandum seu restituendum. Hi imprimis "Sodales" appellandi sunt simpliciter, feminae "Sodales femineae" et magis tamquam appendix quaedam considerandae. Alti fines Congregationi imprimis praefigendi, activitas vere virilis prosequenda. Tum Congregatio indolem virilem iterum recuperabit. Satis est (ut in aliqua Provincia accidit), unam Congregationem virorum vere excellere et magnas res omnino moliri, ut falsi conceptus de Congregatione in opinione publica exorti quasi uno ictu mutentur. Exemplis praeclaris statutis omnia restitui poterunt, et quod decus nostrum et thesaurus esse debet, id non amplius despicietur uti res debilis, abiecta, feminea aut puerilis.

QUAESTIONES PRACTICAE

De numismate Congregationis. Rogat quidam lector: Estne traditio numismatis in actu admissionis ad Congregationem substantiale quid? Et quidnam intelligi debet verbo *signi* in formula admissionis adhibito: *Accipe signum Congregationis?* Quid, si loco numismatis imago B. M. V. traditur? Estne hoc probandum?

Respondeo: Traditio numismatis ad valorem admissionis certe non requiritur, est tamen mos universalis et Regulis commendatus, ut ipsa formula Regulis expressa ostenditur. Quare per se licet ex rationabili causa numismatis loco imaginem porrigere. Generatim tamen melius convenit stare usui communi, certe perpulchro.

De lectionibus Sodalium. Scribit Pater quidam: "Apud nos difficillimum est Sodales ad lectionem spiritualem inducere. Habemus bibliothecam pro Sodalibus, qua continentur libri imprimis ascetici, dein historici, aliarumque scientiarum, tandem libri recreatorii; est haec bibliotheca communis variis Congregationibus. At verecundia suffusus fateor Sodales meos recreativis tantum libris delectari, paucosque omnino esse, maxime inter adolescentes, quibus unus vel alter liber scientificus aut pius arrideat. Est tamen summae utilitatis lectionem fovere librorum seriorum, maxime spiritualium, non recreativorum tantum. Quomodo, qua arte, dilectissime Pater, gustum lectionis seriae et piae in Sodalibus excitem?"

Respondeo: Imprimis, R. P., non est statim desperandum, si Sodales, maxime iuvenes, libros recreatorios imprimis quaerunt. Est enim, ut sumus homines, phantasia potentia illa, quae, potissimum apud iuvenes, facillime exerceatur. Quin etiam adulti et seniores, illi praesertim qui toto die seriis mentalibusque operibus occupantur, libenter sub vesperum libros arripiunt, qui non fatigent, sed recreent atque mentem pulvere quotidianae luctae conspersam in regiones illusionum et idealium elevent. Adde quod, proh dolor, non est magnus librorum spiritualium ita scriptorum delectus, qui non tantum aedificare, sed etiam delectare sciant, stylo quodam eleganti et hodiernos homines alliciente. Inde efficitur necessitas curandi, ut saltem in genere recreatorio ne desint nobis libri, qui simul cum delectatione conceptibus altioribus, aestimatione religionis et moralitatis catholicae legentes imbuant.

At recte omnino R. V.ae hisce nondum est satisfactum. Curandum certe est, ut Sodales lectioni etiam sacrae vacent, deinde libris etiam aliis seriis et lectu utilibus operam dent. Id obtinebit Director, si Sodalibus modo vere convincenti necessitatem atque utilitatem eiusmodi lectionis iterum iterumque explicaverit. Suadeat eis e. g., ut antequam lectioni recreatoriae se dederint, pagellam certe ex Imitatione Christi vel Sanctorum vitis percurrant, sicque totum legendi tempus quodammodo sanctum reddant. Confert deinde ad eumdem finem, non solum modo quodam generali et arido lectionem spiritualem inculcare, sed evolvere nominatim materiam huius illiusve libri pii in concreto, laudando eum, dicendo quam pulcher sit quamque delectabilis, exponendo unam alteramve rem quae illo continetur quaeque desi-

derium reliqua quoque legendi excitet. Nec tantum necessitatem aridam lectionis spiritualis (vel etiam scientificae) exponat Director imperativo quodam categorico, sed etiam excitet desiderium Sodalium penitiorem cognitionem rerum altiorum, praesertim religionis, sibi acquirendi. Demonstret rem catholicam maxima penuria premi hominum vere cultorum, praesertim in rebus quae ad religionem utcumque spectent; nostros homines, etsi pii sint, ordinarie nihil fere scire praeter ea pauca, quae pueri in scholis de religione didicerint; non nosse bene historiam Ecclesiae, apologeticam, quaestiones rerum naturalium cum fide cohaerentes, merita virorum catholicorum circa scientiam, literas, artes, culturam socialem; unde fieri, ut cum defendenda sit religio, cum scribendi sint libri vel articuli, habendaeve orationes publicae vel etiam inter simplex colloquium cum contubernalibus, mente hebescant, voce haereant, inepta tantum et nervo frustrata frustula eructent. Esse igitur operae pretium, sed etiam pernecessarium, ut bene se excolant cognitione rerum religiosarum ii, qui non solum seipsos evehere ad sanctioris vitae culmina pacemque internam velint, sed etiam animis prodesse et rei catholicae opitulari. Sic gustu excitato et utilitate omnimoda exposita libentius Sodales libros bonos lectitabunt.

CHRONICA

Tananarive (Madagascar). — Etiam in terris Missionum Sodalitatem florere et uberes fructus ferre iterum iterumque nunciatur. Sic P. Superior Residentiae in Tananarive praeter cetera haec nobis scribit: "Nostri Missionarii omnes in suis districtibus Congregationes Marianas erexerunt tam virorum quam mulierum. In urbe autem singuli parochiarum rectores etiam plures Sodalitates regunt. Sic in urbe Tananarive hoc anno 1.033 Sodales habuimus, in districtu eiusdem nominis 4.472, in toto Vicariatu 7.351.

Mihi valde gradum accidit dicere, nostros Missionarios ab his Congregationibus multum iuvari, maxime quod spectat laborem laicorum, quem nobiscum conferunt in catechisandis rudibus, formandis zelatoribus Apostolatus Orationis, in colligendis denariis cultus, in conficienda aut reficienda supellectili Seminarii et multis aliis rebus. Quam plurimas gratias agimus pro "*Acie Ordinata*", quae singulis mensibus nostram minus ordinatam aciem illustret et ordinet...".

Ljubljana (Iugoslavia). *Primus Congressus Marianus slovenicus*, ut nuper breviter indicavimus, a die 6 usque ad diem 9 Sept. anni elapsi occasione consecrationis novi templi B. M. V. cnm titulo Auxilii Christianorum sollemnissime actus est. Splendorem singularem Congressui dederunt Emnssmus D. Cardinalis Cagliero et Nuntius Apost. Beogradensis Pellegrinetti, qui aderant. Toto tempore Congressus insolita coeli serenitas perdurabat. Numerus convenientium omnium idem fere erat atque ille tempore Congressus catholici anno 1923. Tota urbs Ljubljana vexillis ornata erat. Secundum programma bene praeparatum maior pars sollemnitatum exclusive religiosarum in decem ecclesiis urbis, illis diebus semper plenis, instituebatur.

Die 7 et 8 Sept. ingens numerus fidelium sacram Communionem accepit. Sacrificiis et concionibus sollemnibus in ecclesiis peractis in atrio magno diversorii "Union", conventus sollemnis agebatur, in quo 3 praecipue themata tractabantur: Maria, Regina pacis, — Maria et reverentia erga auctoritatem, — Maria et Oriens.

Post meridiem diei 7 Sept. in pluribus ecclesiis conciones ad fideles variorum ordinum et aetatum habitae sunt. Vespere in ecclesia cathedrali R. D. Premul concentum edidit, in quo electa carmina Mariana slovenica ab antiquissimo usque ad novissimum tempus cantabantur. Tota nocte sequenti in 2 ecclesiis SS. Sacramentum expositum adorabatur.

Die 8 Sept. inter diu durantem consecrationem novae ecclesiae salesianae in Rudnik, 20 minuta a Labaco (Ljubljana) distante, Congregationes variarum ordinum et aetatum in variis convenerunt atriis, ubi sacerdotes et laici orationes dicebant ad Sodales; agebatur imprimis de apostolatu laico et modernis caritatis operibus atque de problematis modernis feminarum. In conventu Congregationum academicorum et studentium sequens consilium captum est: "Regenerationem religiosam moralemque populi Slovenorum magnopere ab interna regeneratione hominum literis cultorum pendere, cum firmiter sibi persuaserint studentes scholarum mediarum altarumque, in I. Congressu Mariano congregati, consilium capiunt, se pro suis viribus Congregationes Marianas fovere et augere velle". — Post meridiem eiusdem diei 8 Sept. Nuntius Apostolicus in foro ante ecclesiam sito in medio erectam statuam B. M. V., Auxilii Christianorum, sollemniter coronavit, Episcopus vero Labacensis Rms. D. Ant. B. Jeglic populum totum B. M. Virgini consecravit. Quo facto statua Deiparae a Theologis sollemni processione in recens consecratam ecclesiam salesianam in Rudnik portabatur. Processioni bene paratae optimeque ordinatae praeter cetera 4 chori musicorum, multi chori cantorum, 250 vexilla intervenerant. Ingens inde multitudo fidelium aciem duxit adeo, ut ad sumendam benedictionem Rsm. D. Cardinalis in campo magno ad convictum salesianum sito certe 60.000 fidelium congregarentur. Nemo eorum, qui huic eventui adstiterunt, aspectum umquam obliviscetur magnificum, qui animos omnium undique confluentium tantopere commovit! Vespere diei 8 Sept. in diversorio "Unione" academia sollemnis arte perfecta data est, in qua Dr. Jankovic, protoepp. Labacensis orthodoxus, praeclaram orationem de B. M. V. et unione utriusque ecclesiae eandem B. M. V. venerantis dixit.

Tamquam memoria Congressus permanens praeter ecclesiam novam B. M. V. erit peculiaris liber, qui in lucem brevi dabitur, quo omnes conciones orationesque in Congressu habitae ad systema quoddam mariologicum collectae exhibebuntur. Orationes enim omnes bene praeparatae ordinataeque ita dicebantur, ut nullae repetitiones superfluae audirentur. — Itaque liber novus et ecclesia nova B. M. V. una cum aliis ca. 70 ecclesiis B. M. V. in Slovenia dedicatis toti mundo de eximia veneratione B. M. V. in hac terra loquentur. Deipara Virgo vero, quae populum Slovenorum tum a Turcis tum ab haeresi protestantismi mirifice liberavit, certe eundem populum suum fidelem, qui in hoc ultimo Congressu Mariano

fidem suam et amorem in eandem B. M. V. tam sollemniter manifestavit, a periculo etiam materialismi moderni liberabit.

* * *

Quamquam secundum nuntium "Aciei Ordinatae" Gubernium Congregationes in Jugoslavia prohibuerat, tamen pro Slovenia prohibitionem istam ultima nocte ante *protestationem publicam* Labaci habendam revocavit. Timent nimirum protestationes publicas domini persecutores!

* * *

Congregationes B. M. V. in Slovenia progredi conantur. Sodalium omnium sunt ca. 35.000, attamen non sunt Congregationes ubique primae classis. *Reformatio* coepit non tantum in membris, sed etiam in capite. Habemus *Consilium centrale*, quod ab Episcopo potestatem eligendi Praesidem dioecesanum accepit et in singulis sessionibus vocem deliberativam et decisivam quoque habet. In quo Consilio duo quoque Nostri sunt. Praeses novus dioecesanus nuper electus est R. D. Dr. Merhar, canonicus, vir in rebus Congregationis theoretice et practice peritissimus. — Secundo anno iam a Nostris editur ephemeris peculiaris pro Directoribus Cgr. nomine "*Voditelj marijinih druzb*," quater in anno. — Cum Nostri initio huius anni redactionem Nuntii slovenici SSi. Cordis, nomine "Glasnik", susceperint, poterit "*Bogoljub*", ephemeris ascetica slovenica secunda, tamquam ephemeris menstrua Sodalium edi. Cuius redactor idem Dominus Dr. Merhar ephemeridem reformabit.

V. Kopatin S. J.

Congressus Sodalium Romae habendus occasione canonisationis B. Petri Canisii. Sodales Germaniae, Helvetiae et Austriae tempore, quo canonisatio B. Petri Canisii exspectatur, i. e. die 21 Maii 1925, non solum magno numero Romam peregrinari cogitant, sed etiam ibidem lingua germanica congressum quemdam Sodalium instituere. Res magis particulares fortasse sequenti numero indicare licebit, nuncium tamen hic efferimus, ut quos res iuvat, tempore de ea sciant et, si volunt et possunt, rationem huius sollemnitatis in suis quoque peregrinationibus habeant. Exspectantur E.mi Cardinales Coloniensis, Monacensis, Viennensis hac occasione, etiam Excmus D. Marx qui Cancellarius Germaniae fuit.

19.010

Quidnam sibi numerus iste velit, quaeris amicissime Lector. Est *numerus Nostrorum* per orbem terrarum viventium ad finem vergente anno 1924.

19.010 viri perpetuo servitio Iesu Christi devoti! 19.010 milites idem sentientes, ad eundem finem tendentes! Inter eos quot viri sanctitate vitae, scientia, vigore agendi, bene gestorum meritis insignes!

Quid exercitus talis in castris Christi obtinere potest, si viribus in unum collatis dilatando regno Christo operam navat! Quantopere promovere potest religionem, devotionem, vitam christianam, Ecclesiae securitatem et splendorem, salutem animarum!

Non ultima arma exercitui huic Congregationes Marianae subministrant. Quanto vigore hae per orbem terrarum sese erigerent, si omnes, quotquot ubique gentium sumus, arcanam illam ideae Marianae vim ac simul necessitatem apostolatus moderni et bene ordinati penitus intelligeremus!

TELEPHONIUM EDITORIS

I. N. Scribit R. V.: "Habeo nunc singulis diebus dominicis conventum cum Sodalibus, nec sine fructu. Antea enim solum singulis mensibus conveniebatur". Dudum experientia docti sumus, modum efficacissimum Sodalitatis restaurandae et vigore replendae hunc esse: ut conventus *non menstrui vel semimenstrui, sed hebdomadarii* fideliter iuxta Regulas fiant. Quomodo enim ad vitam vere altiorem in spiritu Sodales laici elevabuntur, si tam raro cum Directore convenerint? Sodalitates conventum hebdomadarium servantes ordinarie sunt: vitae spiritualis et apostolicae *laboratoria*; conventu semimenstruo utentes: *oratoria*; conventu menstruo contentae: *dormitoria*.

E. P. Quod R. V. scribit, idem aliunde percipimus: legi solere ephemeridem nostram publice ad mensam. Sic certe promovetur rerum ad Congregationes pertinentium inter NN. notitia.

A. M. Quid magis expediat: conferentias apologeticas Congregationis solis Sodalibus dare, an externos quoque auditores admittere? R. V. quaerit. Utrumque bonum est. Ubi soli Sodales admittuntur, quaestiones liberius et penitius tractari possunt; ubi omnes admittuntur, plures iuvantur. Fiat igitur res modo sic, modo sic.

LIBRI NOVI

A. Bangha S. I. — ***Little Catechism of the Sodality of Our Lady.*** Principal Notions for the Use of Directors. Translated by Fr. *Lowrence E. O'Keeffe*, S. I. – Rome, Central Secretariate of Sodalities of Our Lady, 8, Via S. Nicola da Tolentino, 1925. — Traductio anglica "Brevis Catechismi" seu Supplementi Primi. Pretium singulorum exemplarium (posta inclusa) lib. ital. 1, 10 exemplarium lib. ital. 8, 100 exemplarium lib. ital. 70.

L. Fiedler S. I. — ***A Prézes.*** Budapest, Mária-Kongregáció, 1925. Paginae 52. Agit de officio Directoris, lingua hungarica.

Ex Annalibus veterum Congregationum

(Gasp. Lechnerus: Sodalis Parthenius, Dilingae, 1628)

"Hispalensium quoque Sodalium laudanda est cautela, qui se praesentibus nunquam passi sunt ancillas domesticas musaea sua ingredi. Ex iis quidam morti proximus coram Sodalitii Praefecto serio testatus est, sibi nullam feminam ex facie notam, praeter duas consanguineas, quas ob vitae rationes saepius alloqui necesse fuerat. Vixerat autem annos ipsos novem Hispali, quo tu magis eius continentiam mireris" (311).

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Tribuna di Campitelli, 24